



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Decretvm XXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

pauperes ac miserabiles personas minime negligant, sed ex fraterna charitate, officii & obligationis suæ memores, iis Sacramenta omnia gratis, nullum inde lucrum expectantes, administrent: informet etiam de gratia Spiritus, quam percipimus in Sacramento Confirmationis; quod Nos ipsi jam primò, ferià tertià Paschæ, divinà cooperante gratià, conferre intendimus; & singulis quatuor maioribus festivitibus, Paschæ nimirum, Pentecostes, in festo Assumptionis B. V. M. & sancti Ioannis Evangelistæ, singulis annis in dictà Ecclesia Nostra Cathedrâ, aliàs verò per annum diversis in locis Diœcesis nostræ, conferri faciemus: instruant etiam quàm maximè de Patrinis, modoque Sacramentum illud dignè suscipiendi, quòd idem etiam facient de Sacramento Extremæ unctionis.

DECRETVM XIX.

Quam maximè verò videant, ut impedimenta, matrimonium contrahendum impediencia, aut jam contractum dirimentia, optime norint; distinguendo bene gradus affinitatis & consanguinitatis; & si quæ repererint, ad Nos recursum habeant, ut, facultate, Nobis solis concessâ, in iis aut dispensare, aut consilio remedium afferre possimus. Aliter conjunctos, ipsosque Parochos qui ita illicitè conjungunt, debite puniemus, & omnia acta nulla declarabimus.

DECRETVM XX.

De Sacrificio Missæ dolenter referimus, inveniri, qui non debite, pure, caste, nec pie ac reverenter, & ad populi devotionem movendam, offerant. Quare omnes & singulos monemus, ut, hæc corrigentes, secundum sacros Canones Nostrasque Constitutiones Synodales tremendum illud Sacrificium peragant, nec alijs cærimoniis aut modo, quam Missalis Romani, utantur; ut ita major Ecclesiæ autoritas atque uniformitas constet, & populi pietas promoveatur. Quæ, de confessione sæpius in anno facienda, antehac constituimus, omnino denuò servari mandamus.

DECRETVM XXI.

Circa Sacramentum Pœnitentiæ, similiter Canones antiqui & novi servantur; præsertim ut nullus, quicumque sit, limites potestatis sibi concessæ, vel jurisdictionis commissæ, excedat, & vel sacrilegia committat vel promoveat, & alios per hoc seducat, dum se absolutos credunt. præsertim publicos, notorios & scandalosos, tum concubenarios, tum excommunicatos, tum alios, non nisi præ-

viis requisitis, aut admittant, aut ad debitum Ecclesiasticum tribunal, ubi absolvi possunt, remittant.

DECRETVM XXII.

Maximo animi mœrore intelligimus, peccata blasphemæ in Deum & Sanctos, imprecationes item pessimas, hoc militiæ tempore in Diœcesin Nostram irrepsisse. Quare Pastores populum sibi commissum continue dehortantur, publice & privatim increpando, ne Deus, ut adhuc nuper experientia hic docuit, & blasphemias ipse castiget, & imprecationibus effectum connivendo permittat in pœnam. Dabimus etiam prope diem edictum, per totam Nostram Diœcesin promulgandum, pœnasque constituemus debitas, tum Canonicas, tum etiam secundum Constitutiones Imperii Romani per sæcularem magistratum infligendas.

DECRETVM XXIII.

Similiter peccata fornicationis, imo adultærii, incestus, concubinatus, adeo invalescunt in populo, ut non mirum sit, pœnas hæctenus à Deo merito nobis immisissas; imo timendum, ne & severiores Deus permittat. Vnde, ad placandam iram divinam, omnem diligentiam adhibeant Pastores, ut non solum dehortentur populum à talibus, sed ipsi etiam caste vivendo exemplum præbeant, de similibus inquirent, & Nobis pro Ecclesiastico remedio ad pœnam, quæ canonica vel justitiæ, referant.

DECRETVM XXIV.

Idem est de usuris, quæ, hoc rerum statu, magnas egerunt radices, non solum in populo, sed etiam in Clericis quibusdam. Quare, grave & detestabile crimen eradicari volentes, mandamus Pastoribus, ut diligenter se ex Doctoribus informet, quid & quantum liceat in hujusmodi contractibus, & quid prohibitum sit.

DECRETVM XXV.

Simonæ species similiter plures sunt, & multipliciter grassantur, speciosis titulis ac nominibus pallatæ, præsertim gratitudinis excessivæ, paris chirothecarum, (quæ etiam mille & duo millia Imperialium subinde æquant,) & similibus, quæ tamen, uti & confidentialis quædam, contra jura sunt, graviterque in Simone, Anania & Saphira punita, ita ut iram Dei & damnationem æternam operentur, meritoque etiam in hoc mundo in delinquentes feriò animadvertamus.

D E-